



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.11. Impuros speculum habere in hoc exemplo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

Non ergo inaniter decipiamus nosmetipsos, neque circumscribamur in perniciem nostri, neque aliam nobis poenam incredulitatis crimine conquiramus. Non enim solum si inobedientes simus mandatis Christi, sed et si increduli existamus, supplicia nos manebunt. Non credere autem ex eo accidit, cum viribus deficiamus ad explenda mandata: dum enim commoda, quae nobis ex obedientia proveniunt, nobis comparare volumus, neque ea facere, quae praecepta sunt, ut animum futurorum metu liberemus, conscientiae pondere grauari et praefocati parati supplicii timorem abicere omnem studemus, et in aliud nos barathrum precipites agimus, dum tormentis illis fidem abrogamus. Et quemadmodum saepe homines aegri, cum multis febris aguntur, si in aquas semetipsos frigidas iniecerint, ad praesens quidem aliquid videntur sibi quasiuisse solatij, multiplicatas vero corpori suo flammam febrium reparant: ita et nos agimus, cum stimulamur conscientia peccatorum, et in Euripum nos, vel lacus contritos prava intelligentia precipitamus. Ex hoc enim iam necessario quasi licite peccamus. Sic enim quasi per licentiam feritas increfcit.

XI.
IMPROBOS
SPECULUM

Sic matri accidit supradictae, sic accidit plerisque peccatoribus. Quod non credunt, non

non timent. Ait Apostolus: *Nolite seduci, quoniam neque fornicarij, neque idolis seruites, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Hæc si crederent, non essent tot, qui noctes & dies impura cogitarent, dicerent, facerent, & omnibus membris Venerilitarent: qui filiabus, qui ancillis, qui ipsis matronis insidiantur; qui nullam sinunt transire, quam non etiam in ipsis plateis vel manibus, vel fornicantibus oculis inuadant. Nec verentur, se videri à pueris, quos, vt mater illa filiam, scandalizant, & talia docent antè, quàm sciant orare. Immodò eos iubent, & laudant si faciunt, quæ dicere est pudor. Sed illi nec dicere, nec facere erubescunt. Hinc fraterculus auditus est dicere ad paruum sororem: *Veni faciamus, sicut parentes nostri.* O pudor! ô inferne, vbi es? Porro quid non tentant, vt infernum mereantur? Neque enim tantum obseruant dominos, parentes vel maritos, quacumque ex causa, aut officio absentes; sed ipsa templa adeunt, non vt Deum, sed vt quod turpiter amant, adorent. In templo faciunt abominationes infandas. Quid

HABERE
IN HOC
EXEMPLO
1. Cor. 5. 9.
1. Tim. 10
10.

82 *Cap. III. Damnata femina exemplo.*

si nonnulli vix è templo, & à communionis egressi, per iocum & iactationem audent dicere, Christum hodie & diabolum certavisse, nec se in ipsa sacra synaxi à pulcherrima puella, juxtà ad SS. Eucharistiam accedente, oculos continere potuisse? Nonnè hoc est oculis, nonnè lingua fornicari? quin & auribus, nam talia dicunt, vt talia vicissim audiant. Quin & odores, & calidos cibos eundem in finem adhibent, vt de reliquis nihil dicam, quando inter duas sorores, inter matrem & filiam, hominem & canem, discrimen non habetur. An non his talibus meritò Deus, iudex iustus, tenebras, fumum, foetorem stridorem dentium, carcerem, picem, ignem, cruciatus æternos decrevit? Et tamen adhuc peccant, adhuc ista non curant, quid facerent, si Deus pœnas leuiores statuisset? si, sicut ciuiles magistratus solent, pro adulterio ad gladium, pro furto ad laqueum, pro latrocinio ad rotam, pro veneficio ad flammam, & mortem vnus dimidiæ, aut integræ horæ dumtaxat, aut vnus anni damnare voluisset? Nonnè dixissent, pro vna mala hora, aut anno, possum multos dies, & annos bonos habere. At non sic voluit Deus, æterna
sup.

supplicia decreuit: quæ si non deterrent peccatores, nihil eos deterret: desperati sunt. I, ô miserrime peccator, & qui hæc tormenta vno colloquio, aut cogitatione obscœna, vno aspectu, & vno osculo, vno tactu, aut amplexu jam dudum meruisti; perge aliud nihil nisi Veneres cogitare, loqui, & mille actibus immo artibus, exercere; jam quidem in voluptate es, sed qui tam delicatus es, vt ne minimum nunc possis pati molestiæ, expecta quantum æternorum tibi suppliciorum sis thesaurizaturus. Oculi tui non speciosas puellas, sed deformissima & horrendissima monstra Acherontis spectabunt; fumum, lachrymas, & tenebras patientur. Loco aromatum fœtores sulfuris & damnatorum olfacies. Loco cantilenarum & turpium sermonum æterna conuicia, & lamenta audies. Pro dulci vino amaræ tibi erunt lachrymæ. Tactus tuus, quid possit ignis, experietur. Vnius noctis, vnius horæ, vnius momenti voluptas æternis flammis castigabitur. Nondum tamen ibi sumus, Auditores, essemus ibi, si in tali statu nos mors deprehendisset. Mirum est, eos maximè, qui minimum possunt pati, tantis se malis obnoxios facere. Mirum,

34 Cap. IV. M. Guterrij exemplo animam

Deum, quod jam toties meruissimus, huc usque distulisse. Sed hæc infinita est illius bonitas, pœnitentiam nostram expectantis, quam multis alijs, nobis longè melioribus, denegavit. O quàm pœnitentiam faceret mater illa, aut alius damnatorum, si ex inferno dimissus pœnitentiam facere, permitteretur! Nos adhuc possumus, illis negatur. O quàm saxeus, quàm incredulus est, qui dum potest, hæc tormenta non euadit! & dignus est inferno, quia sua culpa perit, quisquis illum credit, & non fugit.

C A P V T IV.

MARCI GVERRII MILITIS INCOMPARABILIS EXEMPLO, NOS DOCERI, QVO MODO, IN MILITIA SPIRITVALI, ANIMA CONTRA PECCATVM SIT DEFENDENDA.

FENDENDA.

I.
MILITES
NON OM-
NES ESSE
IMPIOS.

Lucan.
l. 10. bell.
ciu,



Pœta ait:

*Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur,
Venalesq; manu: ibi fas, ubi maxima merces:*

quod